



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 124. Fezæ expugnatio, ac Mahometis Cherisii clades.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

colis manus conseruit: cum vero confli- Sæcul. XVI.
A.C. 1557.
 Etus duraret, forte accidit, ut Salara-
 sius, qui Solimani Turcarum Imperato-
 ris nomine Algerii Gubernator, atque a-
 lioquin Cheriforum potentiae infestus
 erat, ex freto Gaditano rediret, atque
 illuc cum octodecim navigiis egregie
 instructis pertransiret. Is ergo, cum
 cognovisset, quod Christianorum naves
 in Alhuzemensi portu stationem suam
 haberent, cum iis sub vesperam cæpto
 prælio, & nocte insequenti continuato
 tandem mane Victor tota classe poti-
 tus est.

§. CXXIV.

Fezæ expugnatio, ac Machometis Cherifi clades.

Buaco ægre admodum fuga elabeba- Thuan. l.c.
 tur, qui cum de Salaraisho querere-
 tur, quod ipsum hostiliter esset aggref-
 sus eo tempore, quo bellum contra Che-
 rifios gereret, hic vicissim Buaconi ver-
 bis acerbissimis improporavit, quod
 christianorum ope, Cherifum quamvis
 communem hostem oppugnaret, cum
 tamen Turcarum vires præsto haberet,
 quibus salvo decore, ac conscientia ho-
 nestius, & tutius ad eam expeditionem
 uti potuisset. Nihilominus, tandem con-
 cordia inter utrumque inita est, ac
 præprimis Buaco accepta a Salaraisho

Hist. Eccles. Tom. XLII. O o fide

Sæc. XVI.
A.C. 1557.

fide Algeriam profectus est, ubi omnes Christianos persoluto pretio redemit, ut eo liberius Fezam contendere posset, ubi sese Salaraifio unacum quatuor armatorum millibus, & duodecim belli tormentis conjungebat, atque ambo Mahometem Cherifium eo adigebant, ut sese Metropoli suæ includere cogeretur: Salaraifius vero occupatis quibusdam urbibus Theffaram, & Dardubagum suæ subjicit potestati, ut inde sibi aditum magis expeditum ad interiora Regni loca panderet: Itaque Cherifius se turpiter includi indignatus Feza erumpere, hostemque jamjam defatigatum, ac undique dispersum aggredi statuit. Ergo atrox utrinque committitur prælium, in quo tamen Cherifii exercitus penitus profligatur, & Turcæ Fezam, quæ in duas urbes, veterem, & novam erat divisa, recuperarunt. Cherifius ægre ad urbem novam per occultum iter auffugit, omnesque thesauros suos, qui tamen magna ex parte ea die ab ipsis Fezanis direpti fuere, prædantium manibus exposuit; nam Bucarius urbis præsidio a Cherifio relictus, ubi Dominum suum in tuto positum intellexit, de ditione cum Salaraifio agere cœpit, & securitatem sibi, ac Fezanis pactus urbem Salaraifio reddidit.

§. CXXV.